



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 4. Quid est Conscientia perplexa?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

denter, rem pro ejus gravitate diligenter perpendendo, pios & peritos consulendo, praxim timoratorum attendendo, &c. Quòd si error jam deponi nequeat, & electio urgeat, v. g. Si non possis veritatem per te invenire, nec adsit peritior, quem consulas; tunc debes orare & elicere actum contritionis de priori peccato ignorantia, & eligere eam partem, in qua putas esse minus mali: & sic excusaberis ab ulteriori culpa, quia tunc error è vincibili fiet invincibilis & involuntarius, cum ejus causa fuerit retractata, & facias jam quod in te est, ut non pecces. Teneris tamen resarcire damnum illatum: Nam retractatio culpæ non facit ut non fuerit liberè posita causa damni, neque ut damnum ex ea non sit secutum; & sic non impedit obligationem illud restituendi necessariò annexam injuriæ damnosæ.

*Q. 4. Quid est conscientia perplexa?*

*Resp.* Est judicium practicum dictans esse peccatum; sive actus hîc & nunc fiat, sive omittatur. v. g. Sive mentiaris ad impediendum homicidium, sive non mentiaris. Cùm hoc judicium sit erroneum, deponi debet: nam quisque tenetur adhibere medium necessarium ad vitandum illud, quo putat Deum offendi. Quòd si deponi nequit, culpa vitabitur eligendo minus malum, putà mendacium in allata hypothese, ex c. *duo mala* dist. 13. Non enim

aim

nim peccat, qui facit, quod in se est ad vitandum peccatum. Quod si eligas id, quod apparet majus malum, peccas secundum quantitatem excessus apprehensi, nam hunc excessum libere eligis. Si utraque pars appareat æque mala, non peccabis alterutram eligendo, quia cares libertate sufficiente ad peccandum imputabiliter. Hinc non peccat, qui detentus in carcere putat se peccare omissione sacri, quod audire vellet, sed non potest: quia hæc omisso non est ei voluntaria, nec libera.

## CAPUT II.

*De conscientia certa & dubia.*

**N**ota. Conscientia certa est actus, quo intellectus prudenter & firmiter, seu absque dubio & formidine falsitatis saltem rationabili judicat aliquid hinc & nunc esse licitum vel illicitum. Incerta verò est actus, quo intellectus sic judicat aliquid esse licitum vel illicitum, ut simul judicet rem fortè aliter se habere. Dixi *prudenter*, nam certitudo duo dicit, nempe prudentiam, & firmitatem adhesionis; & firmitas sine prudentia non est certitudo, sed pertinacia. Quare conscientia certa debet excludere omnem rationabilem dubitationem